

7

REVERENDISS. P. D.

ANSALDO DECANO

Toletana Canonicatus.

Veneris 14. *Maij* 1717.



Lphonſus Fernandez, qui de Anno 1541. 1544., & 1551. in Hiſpanijs Sacræ Inquiſitionis Secretarij munere fungebatur, proceſſum compilavit contra Ioannem Torres, Gabrielem Torres, illiuſque Patrem, & Ioannem Torres Cives Seguntinos, qui omnes odibili Iudaiſmi crimine convicti per Sacrum Inquiſitionis Tribunal ad ignem condemnati fuere; Hoc interìm, quod dictus Alphonſus criminoſum hunc proceſſum conficiebat de Anno 1546. nuptias contraxit cum Anna Molina filia Alphonſi Molina, & Iſabellæ Torres originem ſuam ducentis à Loco Aquavivæ, in quo intèr primarias, & nobiliores reputabatur Familias, ſemperquè tamquàm præſtanti Nobilitate præclari, nullaque Iudaiſmi macula deturpati eorum Deſcendentes pro Nobilibus vbiquè Gentium, & Locorum reputati fuere, talitèr, quod vacato de Anno 1712. in Primitiali Eccleſia Toletana Canonicatu, & Præbenda,

ſuæ

ſuæ fretus Nobilitati, & Sanguinis puritati ab eiuſdem Eccleſiæ Statutis requiſitæ minimè reformidavit Ioſeph Fernandez Iubera illorum mediatus deſcendens de eodem à Sancta Sede proviſionem reportare, Literiſque eidem Capitulo præſentatis ad hoc, vt iuxtà formam Statutorum dictæ Eccleſiæ deputaretur Canonicus, qui opportunam ſuſciperet Informationem ſuper puritate ſui Sanguinis, & ſuorum Deſcendentium, fuit per ipſum Capitulum ſolitus Commiſſarius deputatus, qui ſe conferendo ad Civitatem Seguntinam, Terram Acquavivæ, ac Villam Matriti opportunum compilavit proceſſum, qui ad Capitulum Toletanum delatus, fuit in ſenſu illius probationes non eſſe completas; Aſt quia præfatus Ioſeph Iubera tali methodo nèc reiectionis, nèc admiſsionis Sententiam reportaverat, ſuæ rei conſulendo ſatiùs duxit ad Sanctam Sedem provocare, ſolitaque commiſsione Cauſæ opportunè obtenta, Sacroque Tribunali directa ſub die prima Iulij 1716. prò executione ſuarum Literarum Apoſtolicarum coràm R. P. D. meo Lancetta reſponſum fuit. Verùm illius non acquieſcente Sententiæ prælaudato Capitulo vlteriorem cauſæ Commiſsionem reportare ſategit, illaque mihi directa cum clauſula *Alteri qui ad Legitimam*, ad illius normam in hodierna Audientia ſub congruo Dubio Dominorum ſenſu per me requiſito, ille fuit favore Ioſephi ſua Iura tuentis affirmativus, & contra Capitulum negativus, quod informare recuſans reſolutionis delationem tantummodo efflagitabat.

Quemadmodum enìm nulla orta fuit dubietas dictæ præcedentis Sententiæ R. P. D. mei Lancettæ ſuper ipſius validitatē, & illius Iuſtitia clarè emicuit ex rationibus luculentèr deductis in deciſ., quæ de more dictam Sententiam præceſsit, ità Vota DD. in affirmativam declinarunt ſententiam, quæ validitate, & Iuſtitia adſtipulantibus diverſimoda eſſe non valuit per ea, quæ docet *Rota coram Benincaſa deciſ.* 127. *num.* 1. *& deciſ.* 382. *num.* 1. *& in Pacen. Canonicatus Veneris* 24. *Aprilis* 1716. *coram R. P. D. meo Criſpo.*

Abſquè eo, quod legitima dd. Literarum executio retardari potuerit per eam vnicam obiectivam exceptionem, quod ad formam Statutorum præfatæ Eccleſiæ Toletànæ de neceſſaria Sanguinis puritate Ioſephi non conſtaret. Quoniam in primis, cum ipſe Ioſephus fundatam habeat Intentionem in Iure ſuper ſui Sanguinis puritate, qui ſemper præſumitur omni turpitudinis macula abſterſus, ad benè firmata per *Ricciul. de Neophitis, cap.* 7. *num.* 22. *Lara de Anniverſar. & Cappellanijs, lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 56. *&* 58. *& in dicta Pacen. Canonicatus Veneris* 24. *Aprilis* 1716. *§. Conſtito ex his coram R. P. D. meo Criſpo*, ità ad Toletanum Capitulum ſpectabat ex celebrato proceſſu per ſuum Commiſſarium impuritatem Ioſephi plenè, & concludentèr probare, quod cum exple-

pletum non fuerit per præfatum Capitulum; ex hoc probatā remansit puritas illius Familiæ, & Descendentiæ aditum sternens ad sui Canonicatus possessionem, vt in simili aliàs respondit Sacrum Auditorium, & signantèr *ex decisione* 244. *coràm Mantica*, & magistralitèr *in decis.* 177. 183. 196. *& decis.* 212. *part.* 1. *Recent. & coram bo: me: Alexandro VIII. decis.* 65. *num.* 10. *& sequent.*

Quod autèm ex memorato processu talis Sanguinis impuritas reverà non eliciatur clarissimè probatum fuit ex ipsius lectura, ex qua eruitur, quod præcitatus Canonicus Commissarius in Civitate Seguntina triginta, & vnum Testem examinavit, qui duobus exceptis, omnes deposuerunt de Nobilitate, & puritate Sanguinis Iosephi, eiusque omnium Adscendentium, idemque comprobarunt omnes etiàm alij Testes tàm in Terra Acquavivæ, quàm in Villa Matriti examinati; & ex quibus omnibus Sanguinis puritas omnium Adscendentium Iosephi, & antiquissimæ eius Nobilitatis perfecta emersit probatio ex connotatis per *Corneum consil.* 176. *num.* 10. *volum.* 4. *Hoieda de Incompatibilitate, part.* 1. *cap.* 23. *num.* 143. *Rota decis.* 455. *num.* 4. *coràm sa: me: Gregorio XV. & decis.* 2089. *num.* 28. *coràm Coccin.*

Quìn obstare visa sit prædictorum duorum Testium depositio comprobans impuritatem Sanguinis Iosephi; Nàm quamvìs solùm sufficeret respondere, quod vbicumque ex Informativo Processu, & ex innumeris Testium depositionibus concludentissimè eruitur Sanguinis puritas, illis tantùm de puritate deponentibus plena fides adhibenda sit, alijs de impuritate testantibus prætermissis, vt in puncto firmavit *Rota decis.* 768. *num.* 9. *coràm Merlin. decis.* 246. *num.* 9. *&* 10. *part.* 12. *Recent. & in Pacen. Canonicatus* 25. *Aprilis* 1716. §. *Constito coràm R. P. D. meo Crispo*, maximè quando longè maiores sunt in numero illis de impuritate Deponentibus, vt in specie probant *Ricciul. de Neophit cap.* 7. *num.* 22. *Lara de Anniversar. & Cappellanijs, lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 56. *&* 58.

Nihilominùs DD. solertia non patiente his generalibus propositionibus pertransire, eorumdem depositiones penitùs inspexerunt, quæ penitùs reverà inspectæ minùs subsistentiæ habere compertæ sunt; Nàm præfati Testes in primis non sunt naturales Seguntini, sed solùm Diœcesis Toletanæ, & per consequens non omninò habiles ad probandam Descendentiam, & Adscendentiam Iosephi Originarij Civitatis Seguntinæ, sed, quod magìs est, non deponunt de infectione, aut de fama infectionis constanti, & perpetua sinè vlla contradictione, vt iuris esset ad *Textum expressum in cap. Licèt ex quadam de probationibus*, sed alter ipsorum de solo auditu à Canonico Retuerta, quod Isabella de Torres quarta Avia Iosephi foret coniuncta illis de Torres pœnitentiatis à Sancto

Offi-

Officio de dictis Annis 1541. & 1544. vtpotè Iudaismi macula infectis; Alter verò nuncupatus Simeon Paxares nil aliud deponit, quam de puris colloquijs familiaribus habitis cum Benedicto Martinez, & cum dicto Canonico Retuerta, qui omnes dicebant, quod Canonicus Ioseph Fernandez Patruus Iosephi Actoris, ex eo quia admissus non fuerat ad Collegium Sanctæ Crucis, subspicabantur dictam Familiam præfato crimine esse infectam; Licèt tamen ipse Canonicus cum prædictis Testibus fateretur, vt ipsi referunt= *Che la verità di quel, che realmente era non lo poteva sapere, perche non aveva inteso dire, che la datta Isabella de Torres fossè stata pevitentiata nella sua Persona, ne tampoco poteva discernere, se era Descendente figlia, ò Nepote delli Torres, che si convertirono l' Anno* 1492. *che seguì l' espulsione degl' Ebrei*=; Vndè nemo non videt, quod nulla probationis vis constitui valet supèr depositionibus dd. Testium, qui merè deponunt de auditu alterius, qui veritatem facti ignorabat, *Rota coràm Royas decis.* 221. *num.* 11. *coràm Bich. decis.* 202. *num.* 12. *coràm Emerix Iun. decis.* 132. *num.* 187. *vtrobiquè num.* 4. *decis.* 1251. *num.* 16. *coràm Eodem, & decis.* 105. *num.* 6. *part.* 17. *Recent. & in Pacen. Canonicatus* 26. *Iunij* 1715. §. *Nequè verò coram R. P. D. meo Falconerio Almæ Vrbis Gubernatore.*

Sed in vniversum omnis vmbra difficultatis fugabatur animadvertendo, quod credulitas illius infectionis, de qua deponunt memorati Testes, & quæ orta fuit in præfatis Canonico Retuerta, & Benedicto Martinez, tàm ex damnatione secuta de prædictis Annis 1541. & 1554. prædictorum de Torres, quam, & ab ea reiectione Canonici Iosephi Patrui Moderni Actoris, quàm de eo fecit Collegium Santæ Crucis, pænitùs erronea fuit, cum Isabella illa de Torres quarta Avia Iosephi, quæ prætendebatur consanguinea illorum de Torres Civium Civitatis Seguntinæ in prædictis Annis 1541. & 1544. condemnatorum, non erat de illa humili Familia Torres Seguntina, sed erat de ea Nobili Familia Torres ortum habente à Terra Acquavivæ, quod plenissimè iustificatur, tàm ex antiquis Instrumentorum enunciativis, tàm ex Libris Parrochialis Ecclesiæ Acquavivæ confectis Anno 1553. in quibus adnotatum reperitur, quod Alphonsus de Torres legavit Novenium Missarum prò Isabella de Torres sua Sorore Defuncta in Civitate Seguntina, tùm deniquè ex alijs multiplicibus enunciativis Testamentorum, quæ omnia plenè probant prædictæ Familiæ derivationem à d. Terra Acquavivæ nihil commune habentis cum prædicta de Torres Seguntina meliùs, & validiùs, quam Testium depositiones, si adfuissent ad *Gloss. magistralem in cap.* 3. *de probat.* quam sequuntur *Lara de Anniversì. & Cappellan. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 57. & 58. *Ottalora de Nobilitate Tom.* 1. *part.* 3. *in princip. cap.* 7. *num.* 17. *Ioannes Garcias eodem Tractat.*

Gloss.

Glos. 4. Escobar. de Puritat. part. 1. quæst. 15. num. 7. & sequent.

Et eò magìs prædictæ Isabellæ derivatio à memorata Terra Aquavivæ innegabilis effulsit, ex quo vsque de anno 1647. in Tribunali Sancti Inquisitionis centum quadraginta tres Testes omni exceptione maiores examinati fuere, qui omnes concordi voto deposuerunt præfatam Isabellam de Torres fuisse naturalem dicti Loci dictæ Terræ Acquavivæ, quodque Cognomen, & Familia de Torres in prælaudata Terra esset pura nobilis, atque ex primarijs eiusdem Loci compulsatis tùnc temporis omnibus prædictis Instrumentis dictæ Isabellæ nativitatem in sæpèfata Terra Acquavivæ comprobantibus, & propterea his concurrentibus perspicuis documentis in re maximè tam antiqua metam ferè duorum Sæculorum excedente omni iure eis deferendum esse tradiderunt *Paresan. de editione Instrum. tit. 2. resolut. 3. part. 3. num. 59. Decius cons. 42. num. 2. lib. 1. Guidopap. decis. 357. num. 2.* & secundùm sæpius firmata per *Rot.* & præcisè in *decis. 21. §. Ad secundum coràm Martino Andrea, & coràm Coccin. 2358. 1. num. 5. & sequent. & coràm Arguell. decis. 17. num. 4. & 5. & decis. 14. num. 11. coram Me.*

Maximè quando hìc non sistunt efficacia, & pondus probationum, sed vlteriores, & validiores, subministrat alia nova inquisitio per idem Tribunal S. Inquisitionis peracta de anno 1680. de quo tempore prævia probatione puritatis, & nobilitatis sui Sanguinis elevatæ vsque ad dictam Isabellam de Torres Canonicus Patruus Iosephi Actoris petijt deputari in Iudicem Ordinarium dicti Tribunalis, qua occasione examinatis trigintaquinque Testibus nullam exceptionem nec in dicto, nec in Persona admittentibus comprobata remansit descendentia dictæ Isabellæ, & illius puritas Sanguinis nullo Iudaismi crimine denigrata, & prædictus Canonicus Iudicaturam fuit consecutus, itaùt tot, tantisque concurrentibus probationibus puritatem Sanguinis, & Familiæ diversitatem dictæ Isabellæ præseferentibus ambigi iure non valuit de omnimoda Sanguinis puritate Iosephi Provisi Apostolici, præsertim ponderando, quod effectum sortitæ fuerunt, & fulcitæ reperiuntur Iuris præsumptione, & contra eas non faciunt, nisi præmissæ duæ simplicis Testium depositiones de simplici auditu illorum, quos de prędictis nullam habere certam notitiam suprà præfatum fuit.

Semperque magis præmissa comprobabantur ex præclaro Testimonio Secretarij Tribunalis Sanctæ Inquisitionis, de quo in *Summ. Additionali* Iosephi *num.* 16. qui testatur, quod de ordine Concilij Sanctæ Generalis Inquisitionis vidit, & recognovit Processus fabricatos contra dictos Cives Seguntinos dictis annis 1541. 1544. & 1551. & recognitis Genealogijs exhibitis, proùt exhiberi debent

bent ab Inquisitis in dicto Tribunali, nullam reperijt personam inter Adscendentes, Transversales, & Collaterales descriptos in Genealogijs dictorum Reorum, quæ vocaretur Isabella de Torres, qua mediante attestatione, & diligentia facta de ordine Supremæ Inquisitionis Regnorum Hispaniæ remansit probata negativa, quod dicta Isabella de Torres non esset de parentela, & familia illorum de famillia Torres Seguntina condemnatorum de Iudaismo à Tribunali Inquisitionis, quià si esset illorum Consanguinea, vtique in dictis Genealogijs reperiretur descripta.

Et denique quæcumque quoque impuritatis suspitio profligata remansit ex alijs perspicuis, & extrinsecis facti circumstantijs in id collimantibus, & signantèr, quod ipse Alphonsus Fernandez Sponsus Annæ Molinæ filiæ Isabellæ confecit Processum contra illos de Familia Seguntina, qui fuerunt combusti in Civitate Seguntina anno 1541. & 1551. contemporaneè ad predictum Matrimonium, ideò ab omni verisimilitudine alienum visum fuit, quod dictus Alphonsus Fernandez Secretarius Inquisitionis, qui adeò rigorosè processerat contra illos de Familia Torres infectos voluerit eodem tempore suscipere in Vxorem Filiam Isabellæ de Torres ab infecto Sanguine derivantem tali modo indecens, & infame Matrimonium contrahendo cum Muliere descendente à Sanguine Hebræorum iuxtà communem dictæ Regionis opinionem, de qua *Fontanell. de Pact. nupt. tom. 2. Claus. 5. gloss. prima, num. 103. & sequent.*

Eoque fortiùs, quià idem Fernandez etiàm post nuptias contractas cum Anna filia Isabellæ prædicta adhùc in suo munere, & servitio Sacræ Inquisitionis continuavit, & eiusdem Sancti Officij Familiaritati fuit aggregatus, quando si obiectum Crimen Sanguinis impuritatis verum fuisset in dicta Isabella Fernandez præfatus tamquàm Coniunctus cum persona descendente à Sanguine infecto nullius honorifici Officij, & ministerij in illis Regnis capax fuisset, vt testatur *Escobar. de Puritat. part. 1. quæst. 15. §. 1. num. 33.*

Crescitque vis, & robur coniecturarum animadvertendo, quod cum fato cessit prælaudata Isabella de Torres, fuit tumulata in Sepulchro specialiter conservato in Claustro Ecclesiæ Cathedralis Seguntinæ cum ea honorifica inscriptione solis Nobilibus competente in marmore insculpta sub tenore, ibi = *Quì sta sotto terra l' Onorabile Signora Isabella de Torres, che Iddio habbia, che fu Moglie di Alonso Molina* = cum solita Armorum appositione coniuncta cum Insignijs Sanctæ Ecclesiæ Seguntinæ. Vndè si neglectus Ciner sine titulo, & nomine non fuit, imperceptibile redditur, quod hæc fuerit ea Isabella sanguine coniuncta, & de familia illorum de Torres, qui in dictis annis vltimo ignis supplicio affecti fuerunt, & quæ si sanguinis necessitudine ipsis fuisset

adstri-

adstricta nulla sepulchrali inscriptione, & titulo digna erat, dùm illæ non nisi egregijs Viris ob aliquod præclarum facinus fieri solent, vt notum est.

Neutiquàm pariter adversante altera subalterna ratione, sivè dictorum Testium credulitate reposita in ea reiectione, quàm de Patruo Iosephi fecit Collegium Sanctæ Crucis, arguendo, quod quemadmodùm dictus Patruus Iosephi propter dictam suspicionem infectionis resultantem ex depositionibus duorum pariter Testium, non fuit admissus ad Insignia honorifica conferri solita à Collegio Sanctæ Crucis, vulgò nuncupata *Beccha honorifica*, & ita multò minùs debeat admitti ad possessionem Canonicatus, & Præbendæ in Sancta, & primitiali Ecclesia Toletana, in qua viget æquè rigorosum Statutum puritatem Sanguinis requirens, quod viget in dicto Collegio Sanctæ Crucis.

Nàm predictus potiùs rumor, quàm probatio, prorsùs cessavit in facto, ex quo habetur, quod dicti duo Testes, qui tùnc temporis tamquam Inimici Domus Fernandez dictam depositionem emiserunt contra Patruum Iosephi, posteà Conscientiæ stimulis agitati se retractarunt, & vnus præsertìm ipsorum, quando in vltima vitæ periodo erat constitutus, qui postmodùm cum dicta retractatione vitam cum morte commutavit, vndè in his terminis quod agitur de retractionibus ità qualificatè emissis, & in exonerationem propriæ Conscientiæ dubitari non valet, quod eis standum sit, vt tradunt *Cravett. cons.* 75. *num.* 32. *Menoch. de Arbitr. cas.* 108. *num.* 7. *cum sequentib. Cardinali. de Luc. de Iudic. discurs.* 32. *num.* 62. *Rot. in Romana Fideicomissi* 20. *Iunij* 1712. *§. Ique coràm Me.*

Et sic prædicto corruente facto eò fortiùs corruere debet depositio dictorum duorum Testium nuper examinatorum præfato facto, sivè supposito innixa ex clara regula, de qua vulgata sunt iura, maximè quando in omnem casum diversa esset ratio inter admissionem ad possessionem controversi Canonicatus, & ad Iura honorifica dicti Collegij, ex eo quia quoad Collegia Regnorum Hispaniæ adest inconcussa Praxis, & Consuetudo non admittendi in Collegialem illum, contra quem vigeat etiam falsa opinio, sivè rumòr infectionis Criminis Iudaismi, vt benè probant *Escobar. de Sang. puritat. part.* 1. *§.* 12. *quæst.* 12. *part.* 3. *num.* 46. quæ praxis non procedit, nec procedere vallet contra Provisum Apostolicum, qui repelli non valet sub solo prætextu rumoris infectionis, & impuritatis Sanguinis, sed requiritur plena, & vndequaque perfecta illius probatio ad notata per *Ricciulum de Neophitis cap.* 7. *num.* 8. *Rot. coràm Seraphin. decis.* 50. *per tot. & decis.* 355. *coràm Eodem,*

Rot.

Rot. coràm Mantic. decis. 274. num. 285. & coràm sanctæ memoriæ Alexandro VIII. decis. 75. num. 11. & sequent. & decis. 176. part. 1. divers. & in Rec. decis. 177. à num. 31. ad finem decis. 175. per tot. & decis. 296. part. 1. Rec.

Quare his in facto constanter suppositis abeant, & recedant voces illæ impuritatem Sanguinis Iosephi prædicantes, quæ vel nullo pollent veritatis præsidio, vel ab illis longè maioribus, & validioribus probationibus suffocatæ comperiuntur.

Et ità Canonico tantùm Informante, Capitulo verò frustrà dilationem petente, vtpotè multiplicibus intimationibus lacessito resolutum fuit.

ROMÆ, M.DCCXVII.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorem Permissu.